



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 1. De natura scientiæ humanæ sumptæ vniuersè, & obiecto eius,
qua tali. Deque varietate, & quiditate singularum scientiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

TRACTATVS V. DE SCIENTIA HVMANĀ.

de obiecto que per ipsam scibili
in vniuersum.

QUAMQVAM multa de Scientia humana, de obiecto que per ipsam scibili sub terminis aliis in precedentibus dicta sint, adhuc tamen restant nonnulla de illis sub terminis propriis dicenda in presenti Tractatu. Qui quidem duabus disputationibus absoluetur. Altera erit de natura scientiæ humana sumpta vniuersè, & obiecti eius prout talis. Deque varietate, & quidditate singularum scientiarum. Altera de Accidentibus humanarum scientiarum earundemque obiectorum prout talium.

DISPUTATIO XXI.

De Natura scientiæ humanae sumpta vniuersè, & obiecti eius qua talis. Deque varietate, & quidditate singularum scientiarum.

MATERIA huius Disputationis sub duabus tantum quæstionibus, quantum fieri possit succinctè est expedienda à nobis, ex quibus prima brevior, secunda autem productior erit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit scientia humana. Quid obiectum humanitatis scibile in vniuersum.

MULTIFARIAM vsurpari solet hoc nomen Scientia. Primò latissimè pro qualibet omnino cognitione iudicatiuâ, siue ea sit euidentis, siue obscura, siue sit certa, siue incerta, siue sit probabilis, siue improbabilis, siue sit ex terminis capta, siue per discursum acquisita. Dico iudicatiuâ, quia cognitio simpliciter tantum apprehensiva scientia non dicitur: sicut neque scire dicitur aliquid,

qui illud apprehendit tantum simpliciter. Itaque iuxta hanc acceptionem quicumque aliquid iudicat, siue iudicatiuè cognoscit quauis ratione, illud scire dicitur. Omnèque subinde iudicium humanum, siue omnis cognitio humana iudicatiua (ut modo Diuinam, Angelicamque prætermittamus,) scientia humana appellatur. Appellatur insuper consentaneè ad hanc acceptionem humana scientia omne aggregatum iudiciorum ab intellectu humano oriundum, cuiusvis demum generis illa sint, præsertim quando talia iudicia ordinem, siue habitudinem aliquam inter se habent. Quo casu etiam simplices apprehensiones talibus iudiciis subseruientes vna cum ipsis iudiciis sub nomen scientiæ cadunt. Hoc sensu Philosophia, Theologia, Iurisprudentia, Mathematica, Medicina, & ceteræ huiusmodi humanæ scientiæ nuncupantur, quatenus aggregata quædam cognitionum humanarum aliquatenus inter se ordinatarum: in quibus præter apprehensiones simplices iudiciis subseruientes, quæ quasi per accidens ingrediuntur scientiæ conceptum, plerumque alia sunt iudicia euidentia, alia obscura, alia certa, alia incerta, alia probabilia, & alia interdum improbabilia, alia denique ex terminis habita, alia comparata per discursum.

Secundò nomen Scientiæ paulò strictius accipitur pro qualibet notitiâ, seu cognitione iudicatiuâ euidente, siue ea ex solis terminis apprehensis capiatur, siue acquiratur per discursum. Quo pacto sumpta scientia omnem cognitionem obscuram etiam iudicatiuam excludit, qualis est fides, & opinio, & ceteræ huiusmodi. Vnde iuxta hanc acceptionem solàm dicitur scientia humana (ut modò etiam Diuinam, Angelicamque

omittam) omne iudicium humanum evidens quavis ratione comparatum. Et consequenter omne aggregatum huiusmodi iudiciorum; præsertim cum illa inter se habuerint aliquam habitudinem.

- 5 Tertiò sumitur nomen *Scientia* pro cognitione iudicatiuâ per discursum acquirâ siue eidente, siue obfcurâ, siue certâ, siue incertâ, siue probabili, siue improbabili, atque adeo etiam pro aggregato huiusmodi cognitionum præsertim inter se ordinatarum. Quo sensu sumpta *scientia* humana omne iudicium humanum comprehendit, præter iudicia principiorum, quæ citra discursum habentur ex suis terminis apprehensis.
- 6 Quartò sumitur nomen *Scientia*, strictius pro sola notitiâ, seu cognitione iudicatiuâ eidente, acquirâ per discursum eidentem, siue demonstrarium. Quo pacto accepta *scientia* humana, sola iudicia humana eidentia per demonstrationem comparata, atque adeo, & aggregata huiusmodi iudiciorum, præsertim inter se ordinatorum comprehenditur; non item iudicia humana etiam eidentia, quæ habentur ex terminis, & verstantur circa principia.
- 7 Quintò denique nomen *Scientia* strictissime usurpatur ab Aristot. *lib. 1. Post. c. 2.* pro cognitione iudicatiuâ, & eidente habitâ per demonstrationem de obiecto omnino necessitationem utcumque, sed per propriam, & immediatam causam sui demonstrato.
- 8 Hæc omnia de *scientia* actuali, quæ cognitio, siue intellectio quadam est actualis vna, vel multiplex, dicta sunt. Ex quibus patet *scientiam* humanam habitalem ipsi correspondentem totidem modis venire usurpandam. Est quippe *scientia* habitualis habitus quidam intellectualis, siue facilitas quadam, quæ per repetitionem actuum *scientiæ* actualis in intellectu humano paulatim gignitur, ad similesque actus promptius, faciliusque eliciendos, postquam est genita, subfero.
- 9 Vnde etiam constat obiectum humanitatis scibile totidem modis venire accipiendum, ac accipitur *scientia* humana. Quia obiectum humanitatis scibile id omne, & solum appellatur, quod per *scientiam* humanam iudicatiue cognoscibile, siue iudicabile est.
- 10 Porro nos in hoc, & in sequenti Tractatu, sicut & sæpe alias in toto hoc opere, *scientiam* humanam latissime sumimus iuxta acceptionem primam, pro cognitione humanâ iudicatiuâ ad præsentem hominum statum pertinente in totâ suâ latitudine; potissimèque pro aggregato eiusmodi cognitionum, seu iudiciorum aliquatenus inter se ordinatorum in vniuersum, vñâ cum simplicibus apprehensionibus eis subseruentibus, & consequenter obiectum humanitatis scibile latissime pariter accipimus pro obiecto ab intellectu humano in statu præsentem iudicabili quoquo modo, quoad totam suam latitudinem. Quale est quod correspondet prædictæ *scientiæ*.
- 11 Omne autem obiectum ab intellectu humano pro statu præsentem iudicabile propositio obiectiua est constans, vt minimum, duobus terminis, & plerumque tribus; quorum primus significatur per nomen, & subiectum dicitur; secundus significatur per verbum, & dicitur actus; estque potissimum prædicatum; tertius autem est id ad quod actus per verbum significatus termina-

ri concipitur; ad prædicatumque vt pars eius pertinere censetur, iuxta doctrinam latius traditam, & expositam *disputatione 2. questione 4. & disputatione 8.* Sæpeque alibi in præcedentibus. Vnde obiectum humanitatis scibile, seu cognoscibile latissime sumptum in subiectum, & prædicatum diuidi in primis potest, atque etiam solet. Prædicatum autem aut est essentialitè subiecto; quia vel ipsum totum est, vel pars eius; aut est accidentalitè ipsi; quia ipsius essentia quidpiam adiecit vel metaphysicè, seu per rationem positam, vel physicè. Quod rursus aut necessarium, aut contingens subiecto esse potest, &c. iuxta doctrinam de prædicatis traditam latè *disputatione 17. questione 7.* Hinc quoties aliqua *scientia* humana in aliquo aggregato iudiciorum aliquatenus ordinatorum, iuxta dicta consistens, aut cætera omnia quæ attingit, aut eorum pleraque prædicat de vno subiecto; ipsique proinde siue immediatè, siue etiam mediatè attribuit; tale subiectum talis *scientiæ* subiectum attributionis consequit appellari. Sic Deus subiectum attributionis Theologiæ dicitur, corpus humanum pro vt medicabile subiectum attributionis Medicinæ, quantitas subiectum attributionis Mathematicæ: aliæque huiusmodi aliarum *scientiarum* subiecta attributionis vocantur.

Iam verò propositio obiectiua, in quam iudicium humanum, atque adeo *scientia* humana tendit, quando per se, & ex ipsis terminis apprehensis citra discursum est iudicabilis, principium obiectiuum dicitur; iudiciumque illi respondens principium formale. Quando verò per aliam, aut alias prius iudicatas medio discursu dumtaxat iudicabilis est; conclusio obiectiua, siue consequens appellatur; iudiciumque illi respondens, formalis conclusio, seu consequens. Vnde *scientia* humana sumpta vniuersè ex principiis, & conclusionibus, seu consequentibus formalibus, obiectum autem ei correspondens, ex principiis & conclusionibus, seu consequentibus obiectiuis coalescunt. De quo plura sunt dicta *supra disputatione 19. questione 8.* dicenturque etiam in sequentibus.

Principia autem *scientiarum* omnium in duplici sunt differentiâ. Alia enim sunt quæ prædicant de subiecto, aut ipsius essentiam, aut partem eius. Alia quæ prædicant de subiecto, aut aliquam ex primis, seu immediatis ipsius passionibus, aut aliquod accidens ipsi contingens sub experientiam cadens. Et ad primum quidem genus principiorum pertinent definitiones, seu potius propositiones per se notæ prædicantes definitiones de definitis; ad secundum verò Axiomata quæliam appellantur propositiones vniuersales immediatè, seu per se notæ, quæ prædicant de subiecto passionem aliquam immediatam, & sunt evidentes, (qualiaque appellari etiam expedit non evidentes,) ob id in *scientiis* demonstratiuis, quales sunt Geometrica, Arithmetica, Mechanica, & cætera huiusmodi definitiones, seu propositiones de definitionibus, & Axiomata vt fundamenta totius *scientiæ*, præmittuntur. In omnique *scientiâ* humanâ vniuersè prædicta duo genera principiorum quatenus ad illa prærequiruntur præmitti debent, vt *scientificè* procedatur.

QVÆSTIO II.

*Quotuplex sit scientia humana latissime sumpta
iuxta dicta q. 1. Quotuplexque obiectum
per ipsam scibile sumptum similiter.*

14 **S**uppono primò. Varias scientiarum diuisiones tradi ab Auctoribus, ut videre est in Platone, Arist. Alcinoo, Laërtio, Ammonio, D. Isidoro, Hugone Viçt. Richardo, Alberto, Eugubino, & aliis apud Conimb. in *Logica quæst. 2. Proemiali.*

Quas ipsi Conimb. ex communi Dialecticorum ad tres reducunt. Prima, quæ sumitur ex obiecto, est scientiarum in Sermocinales, quæ sunt Grammatica, Rhetorica, Dialectica, cum Historia, & Poëtica ad Grammaticam, aut Rhetoricam redunda; & Reales, quæ sunt cæteræ mox recensendæ. Secunda diuisio, quæ ex fine sumitur, est scientiarum in Practicas, quarum finis est opus, & Theoricas, quarum finis est sola cognitio veritatis. Practicarum autem, aliæ dirigunt actiones internas, ut Logica actiones intellectus, Moralis actiones voluntatis: quæ rursus diuiditur in Ethicam, Politicam, & Oeconomicam. Aliæ dirigunt actiones externas, ut Grammatica, & Rhetorica externum sermonem; Fabrilis, Pictura, Textoria, Nautica, & cæteræ huiusmodi alia opera externa. Theorica vero ad Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, siue Theologicam reuocantur; quarum ynaquæque rursus sua membra habet. Tertia diuisio, quæ sumitur ex scientiarum gradibus, earum est in superiores, & inferiores. Superiores sunt Physica, Moralis, & Theologia, siue Metaphysica. Inferiores quatuordecim umerantur, quarum septem Artes liberales dicuntur, nempe Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia: septem vero Artes Mechanicæ seu seruiles, nimirum Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgica, Textoria, & Nautica: pluresque numerari potuissent, ut norant Conimb. *suprà articulo 2.* aut etiam deberent. Et aliquæ inter Mechanicas, siue Seruiles recensitæ abs iure tales appellatur; ab aliis, quæ præsertim Recentioribus inter liberales censentur.

15 **S**uppono secundò. Aliam præterea celeberrimam fuisse apud Antiquos diuisionem scientiarum humanarum late usurpatam (quam Philosophiam late etiam sumptum hoc vocabulo appellant): quæ videlicet ea diuiditur in Naturalem, Moralem & Dialecticam, comprehensam sub Naturali Physiologia, seu Physica, Metaphysica, & Mathematicis disciplinis. Cuius diuisionis meminerunt Plato, testante Alcinoo, Aristot. Chrysippus, Eudromus, Xenocrates, Plutarchus, Laërtius, Eusebius, Cæsar, & alij apud Conimb. in *Proemio Physicæ antiquæ quæstiones.*

16 **S**uppono tertio. Celebratissimam omnium esse diuisionem scientiarum seu Philosophiæ Theoricæ, siue Contemplatiuæ in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, idque non solum apud Antiquos, sed etiam apud Moderniores Philosophos. Quam vtræque, & exactam defendunt Conimb. in *Proemio Physicæ, quæstione prima*, Pereira in sua *Physica libro primo, à capite quinto*, & alij Physici, Logicique communiter, quos longum esset recensere. Tameñ aliqui Recentiores eam non satis approbent. Ratio autem, quam omnes

tradunt ad istam diuisionem probandam, est, quia intellectus humanus, vel titulo immaterialitatis, quæ gaudet, ut plerique censent; vel potius titulo modi intelligendi per species alienas, quem præsentem statum habet, ut ego arbitror, ordinariè saltem concipit quicquid scit pro statu præsentem, cum aliqua abstractione à materiâ; atque adeo quot sunt obiectorum scibilibum abstractiones à materiâ possibiles, tot eorum scibilitates diuersæ, totque subinde in intellectu humano scientiæ diuersæ asserendæ sunt. Abstractiones autem à materiâ obiectorum scibilibum possibiles tres sunt omnino. Prima à materiâ solum singulari, quam vocant signatam. Secunda à materiâ singulari, atque etiam à materiâ sensibili. Tertia à materiâ singulari & à sensibili, & ab intelligibili. Tretque proinde omnino sunt scientiæ scibilibum obiectorum, nempe Physica, quæ suum obiectum considerat quatenus materiale, & sensibile, atque adeo sub solâ abstractione eius à singularitate. Mathematica, quæ suum obiectum, nempe quantitatem considerat præscindendo ab eo, quod illa sit in hoc ente materiali, vel alio; tamen quia illa re ipsa in aliquo ente materiali siue corporeo debet esse, ab omni materiâ segregata intelligi nequit. Quod est, ipsam concipi cum abstractione à materiâ singulari, & sensibili; secus cum abstractione ab intelligibili, & Metaphysica, quæ suum obiectum considerat sub eis tantum rationibus, quæ in entibus purè immaterialibus, siue incorporeis re ipsa inveniuntur, eò quod vel eorum sunt propriæ, vel entibus simul immaterialibus, ac materialibus sunt communes. Quod ipsum est, illud concipere cum abstractione ab omni materiâ singulari scilicet sensibili, & intelligibili.

Cæterum Auctores huius diuisionis in quibusdam, nisi ego fallor, videntur peccare. Primò, quia illam solis scientiis speculatiuis siue theoricis applicant: cum & practicas æquo iure censenda videatur communis. Si enim, ut ipsi supponunt, nihil ab intellectu humano intelligitur, absque aliqua abstractione à materiâ: utique scientiæ etiam practica sub aliqua abstractione à materiâ suâ obiecta considerabunt; atque ita quæuis illarum, aut sub Physicam, aut sub Mathematicam aut sub Metaphysicam cadet. Secundo, quia Arithmetica saltem, quæ pars certa dubium est Metaphysicæ, ab omni materiâ etiam intelligibili abstrahit, quandoquidem quæ demonstrat de numeris Angelorum, aliorumque entium purè immaterialium numeris communia sunt. Male ergo dicitur vniuersè à plerisque, Mathematicam à sola materiâ singulari, & sensibili, non item ab intelligibili abstrahere, ut bene viderunt Conimb. *vbi suprà*. Tertio quia, sicut Geometria pars Mathematicæ abstrahit à materiâ singulari & sensibili, secus ab intelligibili modo explicato, ita ea pars Physicæ quæ agit de generatione & corruptione in vniuersum, aliæque huiusmodi abstrahunt à materiâ singulari, & sensibili, secus ab intelligibili: quia agunt de his obiectis cum præcisione ab eo quod sunt in his entibus materialibus, aut in aliis, cum tamen re ipsa in aliquibus esse debeant. Quarto quia, si sit sermo de subiecto obiectiuo scientiæ, sæpe illud est quid singulare, atque adeo nullatenus à materiâ abstractum: si autem de prædicato, est illud plerumque saltem sit ex se vniuersale, id est aptum ad conueniendum in conceptum vniuersalem cum aliis similibus; sæpe tamen est singularizatum, atque adeo propriè, & formaliter nullatenus